Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

# Dissertatio Inauguralis De Remissione Mercedis In Locatione Prædiorum Rusticorum Ob Ingens Damnum Ex Lue Pecorum Conductori Contingens

Gryphiswaldiæ: Litteris Hieron. Joh. Struck, [1751?]

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876454627**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn876454627/phys_0001
DFG

Kr. K. — 2 (56.)

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn876454627/phys_0002

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn876454627/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn876454627/phys_0004
DFG

Q.

# DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
# REMISSIONE MERCEDIS
IN LOCATIONE PRÆDIORUM RUSTICORUM
OB INGENS DAMNUM
# EX LUE PECORUM
CONDUCTORI CONTINGENS.

Von Nachlaſſung der Pacht, wegen der dem Pächter betroffenen allgemeinen Vieh-Seuche.

QVAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE
ET CONSENTIENTE MAGNIFICO JCTORUM ORDINE
IN REGIA ACADEMIA GRYPHICA
*PRÆSIDE*
VIRO GENEROSISSIMO, EXCELLENTISSIMO
ATQVE CONSULTISSIMO
DOMINO
AUGUSTINO DE BALTHASAR
J. U. D. ET P. P. ORD. FACULTAT. JURID. DECANO REGII CONSISTORII
ECCLES. PER RUG. ET POMER. SVEC. REGIÆQVE SOCIET. TEUT.
DIRECTORE GRAVISSIMO
AVUNCULO SUO OMNI PIETATIS AC REVERENTIÆ
CULTU PROSEQVENDO
PRO OBTINENDO IN JURE STATU DOCTORALI
*DIE 15. JULII ANNO MDCCLI.*
H. L. Q. C.
PUBLICE IMPUGNANDUM EXHIBET
GEORGIUS CHRISTOPHORUS MAYER
GRYPHISWALD. POMER.

GRYPHISWALDIÆ, LITTERIS HIERON. JOH. STRUCK.

7

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn876454627/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876454627/phys_0006
DFG

VIRO
PERILLUSTRI GENEROSISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
HERMANNO HENRICO
AB ENGELBRECHT
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS SVECIÆ
SUPREMI IN TERRIS IMPERII GERMANICI
TRIBUNALIS
QVOD WISMARIÆ EST
PRO-PRÆSIDI EMINENTISSIMO
DOMIMO SUO LONGE GRATIOSISSIMO.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn876454627/phys_0007
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn876454627/phys_0008
DFG

*Perilluſtris atque Excellentiſſime Domine, Domine Gratioſiſſime!*

Ex quo tempore, Vir Perillustris! Te in noſtra Republica literaria Jurisprudentiæ placita acute ſvaviſſimoque dicendi genere explicantem audire, honos felicitasque mihi contigit, meque ſingulari Tua gratia, quam nunquam non devotiſſima mente percolam, complecti dignatus es: nihil magis in votis habui, quam ut data occaſione, Tuæ Perillustris Excellentiæ favoris memoriam me haut depoſuiſſe, publice teſtificari poſſem. Et hac dum utor, alia cum hucusque ſe mihi ſubtraxerit, erga Te meam declaraturus pietatem, vix quidem audaciæ me evitaturum ſpeciem, mihi ipſi videor.

Aſt, reputans mecum, quas Tibi humillime offero paginas, fructus eſſe ingenii, maxima ex parte Tua, Vir Perillustris! inſtitutione politi, maximo quoque jure Illustri Tuo Nomini ſacrari deberi, viſum eſt.

Nec Tua ſatis nunquam deprædicanda humanitas me dubitare ſinit, Te hos meos conatus in meliorem interpretaturum partem, ſiquidem ex limpidiſſimo illo grati erga Te animi fluunt fonte; quæ, ſi adhuc quidquam culpæ meis inerit auſibus, veniam facile, quam a Perillustri Excellentia Tua mihi quam humillime expeto, dabit mihi benigniſſimam.

Supremum autem Numen, ut Te Tuosque diutius incolumes omnique proſperitatis genere abundantes ſervet, ut cuique Civium amplius ad Te, tanquam ad ſacram juſtitiæ ancoram, confugere liceat, ſupplex adorabo. Me vero coeptaque mea ulteriori Tuæ gratiæ ac favori quam ſubmiſſe commendo

*Perilluſtris atque Excellentiſſime Domine,*

*Domine Gratioſiſſime!*

*Perilluſtris Excellentiæ Tuæ.*

Gryphisw. die 4 Julii 1751.

ſervus humillimus

Georgius Chriſtophorus Mayer.

# DISSERTATIO JURIDICA
## DE
## REMISSIONE MERCEDIS
## IN LOCATIONE PRÆDIORUM RUSTICORUM OB INGENS DAMNUM, EX LUE PECORUM CONDUCTORI CONTINGENS.

## Von Nachlaſſung der Pacht wegen der dem Conductori betroffenen allgemeinen Vieh-Seuche.

§. 1.

Locatio conductio vulgo definitur, quod ſit *contractus conſenſualis, de uſu rei, vel opera, pro certa mercede præſtanda. pr. I. de Loc. cond.* ibique Hopp. aliique Commentat. Varie diſpeſci ſolet a D. D. uti videre eſt ex generoſis. Dn. PRÆSIDIS, Avunculi ad cineres devenerandi, *Tabellis ad Inſt. p. 42.* Nobis in præſentiarum unice res eſt cum locatione *rerum*, eaque *regulari*, qua dominium rei locatæ manet penes locatorem. Cumque hic contractus mere conſenſualis ſit, dum ſolo partium conſenſu perficitur, eo quoque mutuæ utriusque partis contrahentis præſtationes dijudicandæ veniunt.

Definitio contractus locat. conduct.

§. 2.

Equidem, ſi laxiori juris naturalis ſcrutinio hoc negotium relinquendum eſſet, illud ſpeciem emtionis atque venditionis eſſe, facile quis arbitraretur; Unde etiam eſt, quod ipſe Imperator *pr. al. Inſt.* fateatur, *hunc contractum proxime accedere ad naturam emtionis atque venditionis.* Similis enim eſt *emtioni ſpei.* Cum locator conductori uſum

I. N. Conductor: caſum fructuum ſententire debere videtur; argumento deſumto a contr. emt. vendit.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876454627/phys_0011
DFG

prædii ſui plenarium, pro ut ipſi vel lucro vel damno eſſe poteſt, pro certa ac determinata penſione concedit. Quemadmodum itaque hic illi de lucro extraordinario, quod ex fundo percipit, ultra penſionem conventam nil reſtituit, *L. 35. §. 6. ff. Loc. Cond.* PUFFEND. in *I. N. & G. L. VI. §. 3.* LUDOVICI in *Doct. ff. L. XIX. T. 2. §. 14. in fin.* ſic etiam hic ad damnum inopinatum, caſu exiſtens, reſarciendum, haut deberet eſſe adſtrictus. (*) Quæ ſententia eo magis ab æquitate ſe commendare videtur, quo tutior locatori fructus pecuniæ ſuæ foret, ſi prædium ſuum vendiderit, & pretium inde redactum foenori exponeret; quo caſu uſuras ſortis ſuæ quotannis abſque ulla imminutione perciperet, damno, etiam ipſi ſorti contingente, debitori manente.

(*) Hanc ſententiam ideo æquitati naturali ac juri magis convenientem prædicant atque defendunt LEONH. GESSEUS in opere de *juſt. & jur. dubit.* 3. *n.* 16. LUD. MOLINA de *Iuſt. & I. Diſp.* 495. *n.* 14. qui ita ſcribit: *Illud in locationis contractu de remiſſione penſionis in eventu ſterilitatis ſolum ex quadam æquitate habet vim, poſita juris diſpoſitione hac in parte: ea quippe diſpoſitione ſecluſa, ſane non minus fructus rei locatæ periculo ſolius conductoris ſtabunt, abſque remisſione aliqua ea de cauſa penſionis, quam res emta ſtet, periculo emtoris, etiam antequam tradatur abſque ulla obligatione venditori reſtituendi aliquid de pretio.* Quam etiam ſententiam ſummus GROTIUS *in Op. de I. B. & P. L. II. C.* 12. §. 18. & celeberr. PUFFENDORF *in I. N. & G. L. VI.* §. 12. ſuo approbant calculo; qui ultimus diſtinguit inter res, quarum certum & definitum uſum locator præſtare poteſt ac debet, & quarum uſus, quoad quantitatem eſt incertus & aliquid aleæ habet. Ad poſteriorum claſſem §. *ſeq.* refert negotium locat. cond. & ſequentem in modum hac de re animi ſui ſenſa exprimit: *At vero, circa illas res, quarum proventus incertus eſt, quales ſunt agri, horti, vineæ, flumina ad piſcandum & ſimilia, uti exuberans proventus conductoris lucro, ita malignus ejusdem damno eſt.* Conf. HAHN ad WESENB. *Tit. Loc. cond. N. XVI.*

§. 3.

At enim vero, cum in emtione ac venditione emtor mox perfecto contractu fit Dominus rei emtæ, ut ut nondum traditæ, hinc etiam merito ipſi manet damnum ac periculum ejus. *v. §. 3. I. de emt. vend.* Nil enim magis naturale eſt, quam ut dominus ſentiat periculum rei ſuæ; per vulgatum: Res perit ſuo domino. *v. L. 1. ſeqq. de per. & com. rei vend. l. 5. 6. 7. & 9. C. de pig. act.* CARPZ. *P. II. C. 37. d. 21.* MEV. *P. VI. D. 183. n. 1. & 3. Dec. 400. n. 4.* HOPP. in *Com. ad Inſt. de Obligat. p. 590.* E contra, in locat. Cond. rerum locator manet dominus rei locatæ, & conductor promittendo mercedem equidem dominium fructuum ſibi acquirit, attamen reſpectus hic ſaltem habetur ad quantitatem fructuum & mercedis, pro iis ſolvendæ. Quamdiu itaque fructus non percipit conductor, tamdiu quoque locatori ad mercedem non tenetur. Nec obſtat, quod hic quaſi *emtio ſpei* ſubeſſe videatur; toto enim cœlo eadem differt a locat. cond. In illa enim nullæ regulæ proportionis inter id, quod ſolvitur & quod emitur, occurrunt, ſed unice reſpicitur ad vagum ſortis eventum. In locat. cond. autem, ut jam monuimus, ſemper reſpicitur ad proportionem, quæ eſt inter mercedem ac fructus, quatenus regulariter & ſecundum ordinarium curſum naturæ certo naſcuntur, vel naſci ſolent. Penſio enim pro fructibus ſolvitur & his debet eſſe proportionata. MEVII Bedenken von Grundherren und *Penſionariis Cap. I. n. 22. & P. I. D. 169. n. 7. P. IX. D. 145. n. 1.* Et uſus conſtituit objectum hujus pacti, non vero ſola utendi facultas, vel potentia. Id, quod ex intentione contrahentium, ad quam in contractibus reſpiciendum, omnino ſat luculenter probatur.

Hæc ſententia refellitur & objectiones refutantur, deſumtæ 1] a ſimilitudine cum contr. emt. vendit.

Imprimis ea quæ emtio ſpei dicitur.

§. 4.

2] A lucro excedente, quod annis fertilibus conductori obvenit.

Nec quoque refert, quod conductor, ſi in annis fertilibus, uberantibus ultra ſolitum proventibus, quicquam lucri

lucri capit, non tamen plus mercedis, quam ſtipulatum eſt, locatori ſolvat, (v. §. 2.) nam eo, proh dolor, perventum eſt, ut pretium ad extremum usque auctum, plerumque fertiliſſimis proventibus reſpondeat; ita, ut raro conductor per integrum locationis tempus de lucro ſibi gratulari habeat; cum plerumque ariſtae pingues ſeptem annorum præcedentium diglutientur a macris ſeptem annorum ſubſequentium. Gen. XLI. 24. 30. Ut taceam reliquorum caſuum ordinariorum, quae conductori quotidie in pecoribus & re domeſtica obveniunt.

§. 5.

3] A ſecuritate pecuniæ locatoris, quæ fœnori datur.

Denique nec in cenſum hic venit dubium, quod in fine §. 2. obmovimus, ſcilicet, locatorem tutius pecuniam ſuam foenori daturum; nam ſic etiam dici poſſet, conductorem melius ſibi conſulere, ſi otio indulgeat, nec perpetuis curis, aerumnis ac laboribus ſe excruciet corporisque vires conterat. Quod ſi itaque nemo eſſet, qui conductioni praediorum ruſticorum inhiaret, ipſe locator hoſce labores ſuſcipere neceſſe haberet. Nemo autem eo facile aberrabit, ut aequum judicaret, conductorem fruſtra ac cum perpetuo periculo in gratiam locatoris labores atque impenſas in culturam agri ejus impenſurum. Ne dicam, quanto cum periculo, hiſce imprimis temporibus fallacibus, elocatio pecuniae ſit conjuncta; immo, irruentibus bello, peſte aliique caſibus regionem affligentibus, non tantum curſum uſurarum ſiſti, ſed etiam ipſam ſortem haud raro periclitari.

§. 6.

Potius locatorem pro parte caſum fructuum ferre debere, æquitati ac juri ſcripto conſentaneum eſt.

Quemadmodum itaque dubio caret, damnum, quod ipſi fundo contingit, ſpectare ad locatorem: ita quoque aequitas non minus ac jura poſtulant, locatorem ad minimum pro parte ferre debere ingens damnum, quod occaſione vel intuitu fundi, fructibus ex fundo locatoris natis eique

adhuc

adhuc cohaerentibus obvenit & lucrum fructuum, nimium excedit, (*) quo alias conductor immunis fuiſſet, ni in gratiam aeque locatoris ac ſui ipſius culturam agri ejus ſuſcepiſſet; potius hic ſubeſſet analogon quoddam contractus innominati *do ut des*, cum locator conductori praeſtat fructus fundi ſui, e contra locator uſuras pretii ſui, quod in emendum fundum locatum impendit, a conductore recipit; vel, ſi mavis, ſpeciem quandam *ſocietatis*. Quod ſi itaque locator quotannis integram penſionem recipere vellet, e contra conductor integrum periculum ferre deberet, ſumma hic ſubeſſet iniquitas ac leoninae ſocietatis veſtigium. Quod contra aequitatem naturalem foret, quae, neminem cum alterius damno fieri locupletiorem, patitur. *l. 14. ff. de cond. ind. l. 206. ff. de regul. jur.* Et cum ita in hoc negotio bilaterali utriusque contrahentium commodum atque incommodum verſatur, aequum quoque eſt, ut ad ſimilia ſibi invicem obligentur. v. HOPP. *c. l. Reg. 3.* (**)

Caſus, quos fert conductor.

(*) Modicum itaque damnum aequo ferat colonus, cui immodicum lucrum non aufertur. *l. 25. §. 6. ff. loc. cond.* Conductor enim hic eſt loco domini, qui, ſi ipſe fundum ſuum coluiſſet, certe ſolus damnum paſſus fuiſſet. MEV. im Bedenken von Grundherren und *Penſionariis C. I. n.* 161. GUNDL. in *Colleg. ff. Tit. Loc. Cond.* §. 3. Alioquin enim, ſi ob quodvis damnum aliquid penſioni foret detrahendum, perplexarum litium magna ſeges eſſet pullulatura, inquit PUFFEND. *c. l.* §. 3. ſicut & conſuetum, & quod ex vitio ipſius fundi oritur, periculo conductoris eſt; hic enim illud praevidere potuit ſibique imputare debet, quod ejusmodi contractum inierit, nec meliorem fundum conduxerit. Denique & illum caſum imponunt conductori Doctores, qui fructibus contingit jam perceptis; quia tum pleno jure ſpectant ad conductorem. Sed, *quando dicuntur percepti?* Ex variis opinionibus DD. ea praeferenda, quae ſolam exigit ſeparationem a fundo; quoniam haec in jure eſt fundata. v. § 36. *in fin. Inſt. de R. Div. l. 26. §. 1. ff. de furt.* unde & hanc communem dicit LAUTERB. in *Comp. ff. Tit. Loc. Cond.* STRYCK. in *Tr. de Caut. Contr. Sect. II. c. 9. §. 22. in fin.* Quomodo autem illud damnum computandum & modicum vel immodicum deter-

Qando fructus dicuntur percepti?

Quomodo damnum hoc computandum vel determinandum?

determinandum? Hoc judico peritorum Oeconomorum relinquendum. v. STRUVII *Synt. J. Civ. Ex.* 24. *Th.* 16. MEV. *P. IX. Dec.* 116. LUDOVICI *Comp. ff. Tit. loc. cond.* §. 14.

(**) Unde conciſe & eleganter PUFFEND. *c. l.* §. 3. ſcribit: *Quia inæqualis ſolent eſſe diverſorum annorum proventus, ideo locator certum quid & mediocre vult habere, quam ab incerta annorum ubertate dependere; contra conductor certum quid vult expendere, ſpe lucri incerti.* Quo cum conferenda ſunt verba SCHIRSCHMIDII in *Diſp.* de *imputatione culpae circa locat. cond.* §. 34. ibi: *Interea, cum locator rerum, ſi rem non locaſſet, illud detrimentum, quod mero caſu in re occurrit, ſentire deberet: conſtat, quod ſub hac hypotheſi, qua conductoris uſus rei mero caſu impeditus, jus ſtrictum, etiam naturale, locatori competens, mercedem totam exigendi, officiis humanitatis contradicat.*

§. 7.

Id, quod textibus juris & ſententiis D. D. probatur.

Propitia itaque aequitate jura civilia romana in *l.* 15. §. 2. *ff. Loc. cond.* diſpoſuere: *damno locatoris eſſe, ſi fructus ſint corrupti vi fluminum, graculorum, incurſu hoſtium, aut ſolis fervore non adſueto.* Et ratio additur: *Ne colonus ſupra damnum ſeminis omiſſi mercedes agri præſtare, adeoque duplex damnum ferre cogatur.* Et in *l.* 25. §. 6. *d. t.* dicitur: *vis major non debet conductori damnoſa eſſe, ſi plus, quam tolerabile eſt, laeſi fuerunt fructus.* Quam juris diſpoſitionem, in naturali aequitate fundatam, agnoſcunt ad unum fere omnes Moraliſtæ ac juris civilis Doctores; (*) adeo, ut hoc amplient, etiamſi conductor caſum fortuitum in ſe ſuſceperit, utpote quod ſaltem accipiendum de caſibus ſolitis, non inſolitis, minime autem inſolitiſſimis. (**)

(*) Qua de re, quod ad jus naturæ attinet, conſulendus eſt illuſtr. PUFFENDORF. *c. l.* §. 3. LEYSERUS *in Med. ad ff. ſp.* 217. *m.* 6. Immo, ex cohorte Civiliſtarum etiam ſupra §. 1. *not.* 1. adducti diſſentientes conſenſum juris civilis ac praxeos hac in re conſtantem confitentur. v. MOLINA *c. l. princ.* FABER. in *Cod. Lib. IV. T.* 44. *n.* 4. RAUCHB. *QQ. juris civil. & ſax. P. II. Q.* 29. *n.* 48. CARPZ. *P. II. C.* 37. *d.* 17 & 18. HAHN *ad* WESENB. *c. l.* Omnem hanc rem pleniſſime diſcusſit & qua ſingulos caſus determinavit nuper a. 1747. a S. R. Majeſt. Porusſica promulgatum *Projectum Codices Fridericiani P. III. T. VIII.* §. 17. *usque* 33. *incl.*

(**) Equi-

(**) Equidem indubitati juris eſt, quemlibet caſum pacto in ſe recipere poſſe, ſiquidem quisque rei ſuæ liberrimus moderator ac arbiter eſt, *l.* 15. *de pact.* *l.* 39. *ff. mandati l.* 8. *&* 38. *ff. de contrah. emt.* & ſic etiam conductor frequentius caſum in ſe recipi^r^, quemadmodum etiam locator ex ſpeciali pacto obligari poteſt ad præſtandum caſum fortuitum, qui evenit rebus conductoris. *l.* 9. *§.* 2. *ff. Loc. cond.* MEV. *P. VI. D.* 400. *n.* 5. *P. IX. D.* 116. *n.* 1. Verum hoc caſu, ſi ejusmodi pactum nullam iniquitatem continere debet, quæ quandoque, hoc vel illo in anguſtiis conſtituto, vel de proventibus prædii non ſatis certo, cum damno & injuria alterius exerceri ſolet, ſupponitur: paciſcentes reſpexiſſe vel ad ſatis pingues proventus, quos pro levi penſione accipit conductor, vel ad ampliorem penſionem, quam pro uſu fundi ſui, parum fructiferi, percipit locator; alias, ubi æqualitas inter utrumque ſervatur, & conductor caſum in ſe recipit, non niſi ſolitum, haut vero inſolitum ſuſcepiſſe, præſumendus eſt. *v. l.* 78. *§.* 4. *de emt. vend. l.* 26. *§.* 6. *Locat. cond.* MOLINA *c. l. n.* 20. GAIL. *L. II. Obſ.* 23. *n.* 18. *Obſ.* 52. *n.* 27. VINC. CAROCCI *Tr. de loc. cond. P. II. p.* 163. *n.* 17. RAUCHB. *c. l. n.* 19. CARPZ. *P. II. cap* 26. *D.* 8. *in fin. C.* 37. *D.* 16. *&* 17. item in *Tract. de Aſylo creditorum Th.* 40. *n* 109. *&* 133. ibi: *quo pacto tamen caſus inuſitati vel inſolitisſimi, qui rarisſime contingunt, cenſentur haut comprehenſi, quippe de quibus contrahentes haut cogitarunt.* MEV. *Conſ. I. n.* 94. ibi: *quoties caſus fortuitus recipitur, id intelligendum eſt de ſolito, multo minus ergo de inſolitisſimo, quem receptum eſſe a quoquam veroſimile haut eſt.* STRUV. *in Synt. j. Civ. ex.* 24. *th.* 16. LUDOVICI *in doct. ff. Tit. Commod.* §. 25. & in *uſu diſtinct. jurid. L. XIII. tit.* 16. *diſt.* 2. STRYCK. *in caut. contr. ſect. II. c.* 9. *n.* 26. WERNH. *ſel. obſ. for.* P. *V. obſ.* 98. *p.* 240. LUD. MENCKE in *Diſp.* de *conventione circa præſtationem caſuum fortuitorum* §. 37. EVERH. OTTONIS *Diſp.* de *præſtatione caſuum ſolitorum, inſolitorum & inſolitisſimorum Cap.* 2. §. 10. ZINCK in ſeinem öconomiſchen Wörter-Buch, *voce:* Ungewöhnliche Fälle, ibi: ungewöhnliche Fälle werden bey einer Pacht allemahl ausgenommen, wenn ſchon ein Pächter alle Unglücksfälle zu übernehmen ſich verbunden. Execramur itaque impium illud conſilium quod ſuppeditat MOLINA *all.. diſp.* 95. *n.* 10. & ad ditandum fiſcum regium commendat Dn. GASSER in ſeiner Anleitung zur öconomiſchen, Politiſchen und Cameral-Wiſſenſchafft *Cap.* 4. §. *ult.* qui ultimus miſerum conductorem, etſi quantum penſionis

Caſus præſtatio dependet a pacto contrahentium.

In dubio tamen caſus ſolitus, non inſolitus pacto ſuſceptus præſumitur.

Impium eſt, conductorem indiſtincte ad præſtationem caſuum fortuitorum adigere.

ſionis moderatum id non compenſet, ad receptionem caſuum inſolitorum adigendum eſſe, ſtatuit; quando ſcribit: Vornehmlich aber muß der *Arrhendator* alle *caſus fortuitos* übernehmen; welches weder unbillig, noch denen Pächtern verdrießlich ſeyn kan. Unde & S R. Tribunal miſeros Conductores non una vice, cauſa ad juſtitiam ejus devoluta, ab hoc onere liberaſſe compertum habemus. Conf. ill. Dn. Vice Præſ. ab ENGELBRECHT *Obſerv. ſel.* 89. *n.* 1. 4.

§. 8.

Thema Diſput. Num etiam iſte caſus a locatore ferendus, qui Pecoribus conductoris contingit.

Probata jam aequitate eaque legibus civilibus firmata, quae locatorem obligat ad damnum, quod certa ratione (v. §. 6.) fructibus caſu fortuito contingit, conductori ſatisfaciendum, ſpeciatim jam inquirere inſtituti ratio poſtulat: *Num etiam locatoris quædam adſit obligatio, ſi ejusmodi caſus fatalis ex inſolita ac ingente peſte, ſeu lue graſſante, pecoribus conductoris accidat;* Doctores plerumque determinationem caſuum ſolitorum ac inſolitorum, vel etiam inſolitiſſimorum arbitrio judicis relinquendum eſſe cenſent. (*) Interim vix patitur dubium, quin inſolens lues pecorum ad caſus fortuitos inſolitos ſit referenda. Quemadmodum enim belli calamitas huc referenda, *l.* 15. *§.* 2. *ff. in fin. Locat. cond.* ita & in genere peſtis eo refertur, v. RIPA *de peſte Cap. I. n.* 71. *ſeqq.* GAIL. *L. II. o.* 23. *n.* 7. CARPZ. *L. VI. Reſp.* 105. *n.* 12. *ſeqq.* inquiens: *cum enim bellum extra controverſiam numeretur inter caſus fortuitos: jure quoque eo referri licet peſtem, quae eſt bellum cœleſte, ſeu hoſtilitas Dei, quæ major eſt hoſtilitate hominum.* BRUNNEM. *ad L.* 27. *ff. Loc. n.* 7. & ſic etiam ea peſtis ſpecies, quæ pecoribus accidit, ex numero caſuum fortuitorum inſolitorum haud erit excludenda, ſed propitio jure eundem auget; inferente hoc lege expreſſa 23. *in fin. ff. de R. jur.* Verum, *num iſte caſus locatorem, an conductorem feriat?* ſaltem hic in cenſum venit. Equidem primo intuitu dicendum videtur, eundem a conductore, non locatore præſtandum eſſe, imprimis ſi pecudes propriæ ſint conductoris. (**) Id, quod etiam

Lues Pecorum pertinet ad caſus fortuitos.

Quis illum ferre debeat: Locator, an Conductor? R. Conductorem illum ferre, ſi pecora ſingillatim & ordinaria morte perimantur.

etiam eatenus verum eſt, quatenus ſingula capita pecudum ſparſim morte pereunt, ita, ut cultura agri inde impedimentum non capiat. Aliter autem judicamus, ſi lues ingrueſcens totum gregem, vel maximam ejus partem, brevi tempore conſumat, eaque ita graſſetur, ut neque ex foetu ſuccreſcente mox numerum demortuorum capitum ſupplere, nec etiam a vicinis pretio nova pecora redimere valeat, ideoque cultura agri negligenda, qui inde ſolitos fructus conductori denegat; quem caſum fatalem utique pro rata quadam a locatore ferendum eſſe, ſalva lege *all. 23. ff. de R. J.* æquitas & jura poſtulant. Siquidem iſte intuitu ipſius fundi conductori contingit, (v. §. *6.*) dum immediate influxum in ipſam fructuum perceptionem habet conductor; enim hac ratione eodem modo agri emolumentis privatur, ut in peſte, quæ homines ad culturam agri necaſſarios conſumit. Unde & probi ac probatiſſimi JCti jam dudum decidere, hujusmodi caſum haut oneri eſſe conductori, ſed reſarcitionem ejus, ex aequo & bono incumbere locatori. v. RAUCHB. in *Quæſt. jur. P. II. Q. 29. n. 14. ſeqq.* CARPZ. *P. II. C. 37. d. 18. n. 1.* Cujus aſſerti æquitas adeo incurrit in oculos, ut etiam varia proſtent exempla in praxi, quibus locator vel ſponte partem damni hoc caſu in ſe receperit (***)

Conductorem vero, ſi lue graſſante maxima pars gregis conſumatur.

Quod confirmatur autoritate probatisſimorum JCtorum.

(*) Admodum hac de re inter ſe digladiantur Doctores. Nonnulli, ut BARTOLUS, Civiliſtarum anteſignanus, ad *l. 10. §. 1. ff. de ann. leg. n. 4.* & qui ejus caſtra ſequutus JASON. *Vol. I. Conſ.* 107. VINC. CAROC. *c. l.* uti ex *all.* MENCKENII & OTTONIS *Diſpp.* videre licet, caſum inſolitisſimum ita definiunt: quod ſit *eventus, qui vix mille annis ſemel contingit.* Qua ratione autem paucisſimi, vel plane nulli, per vitæ hominis ſpatium contingerent ejusmodi caſus fortuiti. Alii id reſtringunt ad terminum centum annorum v. ZINCK *all. l.* ibi: Es werden aber für ungewöhnliche Fälle gehalten, die ſich in hundert Jahren kaum einmahl betragen. Adhuc alii, ut CARPZ. & LUDOVICI ſupra *cit. ll.* rectius ſtatuunt: caſum inſolitisſimum eſſe, *qui rarisſime contingit*; & quoniam hac de re generaliter & in univerſum

Quinam caſus referantur ad ſolitos & inſolitisſimos.

 nil

nil certi ſtatui poteſt, ſed multum ab indole climatis ac conſuetudine regionis dependet, illi optime agere mihi videntur, qui omnem rem judicis prudentis arbitrio relinquunt. vid. MENOCH. *de arbitrar. judicum Quæſt. Conſ.* 80. *n.* 8. STRYCK. *de j. Senſuum Diſp. X. Cap. VII. n.* 38.

Caſum pecorum ſuorum regulariter fert Conductor.

(** Hæ enim qua dominium ſpectant ad conductorem; res autem propria perit ſuo domino. (v. §. 3.) & locator conductori ad nil aliud tenetur, quam ut fundum eidem ita exhibeat, ut eodem frui poſſit *l.* 15. §. 2. *in fin. ff. Loc. cond.* MEV. in ſeinem rechtlichen Bedenken *Q. II. n.* 81. *ſeqq.* & 93. *ſeqq.* IDEM *P. VI. D.* 400. *n.* 1. unde & in *all. l.* 23. *ff. de R. I.* expreſſe mors animalium refertur ad ejusmodi caſus, qui a nemine præſtantur; nec quoque deſunt DD. qui hac ratione moti, damnum ex lue pecorum oriens in ſolum conductorem volunt devolvendum, ita ut nullam ejus reſtitutionem a locatore petere poſſit. v. CARPZ. *P. II. C.* 37. *d.* 22. cujus Rubrum: *Conductor, qui tempore conductionis pecora ſua aliasque res proprias perdidit, aliudve damnum ſenſit, nec reſtitutionem a locatore petere, nec remiſſionem penſionis impetrare valet.* MEV. *Conſ. LXX. n.* 3. ibi: *Quæ damna conductor in ſuis pecoribus rebusque aliis ſenſit, nullo jure imponenda locatori, ſed iſta conductori, ut domino, pereunt.* IDEM *P. VI. D.* 183. ibi: *nec enim fructuum perceptio cauſa eſt transferendi caſus ipſarum rerum, haud magis, quam dominii mutandi. Et quamvis hic ſocietas quædam exiſtat, fructuum tamen ſaltem eſt, non ipſorum pecorum, res, quæ ab altera parte in hanc, qua proprietatem non fuit translata, non alii, quam ipſi domino perit.* Conf. EUND. *D.* 400. *n.* 2. & 3. *P. IX. D.* 145. *n.* 10. & *in fin.*

Exempla, ubi Locatores ſponte hunc caſum in ſe receperunt. No. I.

(***) Ita quoque deciſione legimus in all. *Projecto Cod. Frider.* §. 83. vid. *App.* N. I. Sic Ampl. Facultati juridicæ, ut ex Dn. Præſide accepi an. 1747. m. Apr. offerebatur caſus, quo Camera Princip. Megapolitan. expreſſe inter alios etiam hunc caſum in ſe receperat; verbis contractus cum Conſiliario Dn. HAFFTEN an. 1737. d. 28. Maj. initi, ita fluentibus: Wie den auch die Kayſerliche Commißions-Caſſa, oder künftige Fürſtliche Kammer, allen beſonder Unglücksfälle, ſo durch Gottes Gewitter, extraordinaire Sturmwinde, Krieges-Ueberzuge, allgemeines Viehſterben, den, ohne ſeinen und der ſeinigen Schuld ſich etwa eräugenden Feuerſchaden, welches alles der Allerhöchſte in Gnaden abwenden wolle, zutragen, über ſich nimmt, & porro A. 1749. m. Martii Ampl. Facultati proponebatur caſus von Straßburg in der Uckermarck, ubi Titius Javoleno prædium locave-

caverat, inſerta contractui expreſſa hac clauſula: Daß, wenn in einem Jahr nicht über 20 Häupter von Vieh ſtürben, ſolchen Verluſt der Pächter alleine ſtehen, wenn aber über 20 Häupter abgehen ſollten, ſolches der Verpächter vergüten ſolle. Æquiſſimum ſane pactum, eo magis ſervandum, quo juri ſcripto eſt conveniens. Equidem ill. MEVIUS in *all. Qu.* 2. *n.* 99. pactum illud, quo locator caſum pecoris conductoris in ſe recepit, ſilente licet jure ſcripto, ob naturam correlatorum etiam in favorem locatoris, ſaltem ad caſus ſolitos, non vero inſolitos vult reſtingi. Sed hanc argumentationem non procedere, ex tota hac noſtra tractatione colligere licet. Facile tamen concedimus, hoc pactum ſaltem ad capita majora reſtringendum, haud vero ad vitulos, ſeu pullos, eſſe extendendum

Mevii reſtrictio hujus pacti refellitur.

Illa tamen, qua de capitibus majoribus ſaltem accipiendum, probatur.

## §. 9.

Imprimis autem hoc applicationem ſuam invenit in gravi ac luctuoſa illa lue, quæ noſtra ætate & ante aliquot annos, immo, proh dolor! adhuc dum univerſam Europam & fere univerſum terrarum orbem pervagata tantoque cum furore inter bubulum pecus ſæviit, ut ubique locorum prædia ingenti conductorum damno eodem fuerint deſolata; quæ, tam ob vehementiam mali, quam ob vaſtitatem ſuam, intra multorum hominum memoriam ſui non habuit ſimilem. Ideoque & Conductorem, utut caſum fortuitum in ſe ſuſceperit, ſecundum principia antea (§. 7.) adducta, a damno in tantum immunem eſſe, ut reſarcitionem ejus, ex æquo & bono determinandam, a loca ore petere poſſit, vix admittit dubium. (*) Debitis itaque laudibus efferenda gratia Sereniſſ. jamque beatiſſ. Regis noſtri FRIDERICI cujus memoria in omnem æternitatem ſit in benedictione, qua conductoribus prædiorum quoque domanialium hoc caſu afflictis, æquivalens commodum prorogationis contractuum pro leviori augmento penſionis, gratioſiſſime indulſit. (**)

Hoc principium: Locatorem ferre caſum, per luem pecoribus conductoris contingentem, imprimis obtinet in præſenti illa inſolita ac univerſali lue pecorum.

Etſi Conductor caſum in ſe ſuſceperit.

(*) Sic Ampl. Fac. jurid. Gryphica, referente Dn. Præſide, non ſolum in genere, ubi nulla ſpecialis conventio partium adfuit, quam etiam in caſu, ubi locator periculum pecudis in ſe ſuſcepit, ad conſultationem partium reſpondit, quin immo, idem æquum

Caſus, ubi Fac. jurid. Gryph. ita reſpondit.

judicavit ubi conductor caſum eines etwanigen Viehſterbens in ſe, receperat, uti noviſſime A. 1747. ad Conſult. Penſionarii Cruſen contra Magiſtratum Demminenſem reſpondit. Ubi ſimul notata differentia locutionis: der conductor nimmt über ſich, wenn etwa, und wenn ein etwaniges Viehſterben entſtehen ſollte. Nec defuerunt qui publicis ſcriptis hujus ſententiæ defenſores egerunt; inter quos referendus AUCTOR des Freymüthigen Erdbürgers, ſo zu Wismar im Jahr 1746. in 4. herauskam, im 32. 36. 39. und 40. Stücke. item Dn. D. M. B. HERINGIUS, JCtus ac Profeſſ. Roſtoch. quondam celeb. in Diſp. de *remiſſione conductori ob luem pecorum graſſantem concedenda, Roſtoch.* 1746. ill. Dn. ab ENGELBR. *cl. n.*1. quin immo, in cauſa cujus paulo ante injecta fuit mentio, qua conductor caſum viginti capitum in ſe ſuſceperat, etiam hunc in computum adferri, æquum judicavit Facult. noſtra juridica, cum univerſum pecus lue perierit; quem alias, ſi non ita inſolitus valdeque noxius caſus fuerit, ſolus ex pacto ferre debuiſſet.

Autores, huic ſententiæ adſtipulantes.

(**) Propenſio iſta gratioſa Clementiſſimi Regis noſtri jam apparet ex literis ejus ad Commiſſionem regiam, cui negotium Reluitionis in hac Provincia commiſſum, de inſtituenda inquiſitione damni a Conductoribus prædiorum domanialium perpeſſi, ſub dato den 26 Oct. 1747. Cujus extractum ſub calcem hujus Diſp. N. II. adjecimus. Ipſa autem Reſolutio Regia, qua approbata ſunt media, a Commiſſione ſic dicta Reluitionis, in medium prolata, eſt d. 1748. d. 7. Nov. quam c. l. deprehendes ſub N. III. quamque deinde alia Reſol. Reg. d. 1749. d. 28 Apr. priorem modum confirmans inſecuta fuit.

Reſcripta & Reſolutiones Sereniſſ. Regis noſtri. No. II. No. III.

§. 10.

Removentur dubia obſtantia.

Nec etiam huic aſſerto adverſatur, quod hac ratione locator periculum rerum ipſius conductoris ferre teneatur, cujus animalia quaſi pro ferreis haberentur, & ſemper damnum devolveretur a domino in alium; id quod eadem iniquitate laborare videtur, ac ſi locator damnum quod in propriis invectis ac illatis Conductor infortunio quodam ſentit, ferre debeat. Siquidem hic non tam reſpicitur ad mortem animalium eorumque reſtitutionem: ſed potius ad damnum, quod per mortem animalium conductoris ipſi fundo locatoris contigit, ut hic ob defectum culturæ debitum officium ſuum præſtare non poſſit (v. §. 6. & 8.) cum

tamen locator adſtrictus, Conductori fundum præſtare, ut eodem frui poſſit, (*§. 8. n. 2.*) & quidem integer uſusfructus fundi conductori ſit præſtandus. Totius enim anni fructus ex quacunque cauſa & re percepti pro uno fructu habentur, *l. 7. §. ſi in anno &c.* ibique *Gloſſ. & DD. ff. Sol. matr.* ideoque non ſufficit, ſi aliqua fundi conducti parte prohibitus ſit frui conductor, licet reliqua indemnitatem plenam attulerit; cum omnino præſtare locator debeat, tota re ut Conductor frui poſſit, alias pro rata ejus remiſſio facienda eſt. FAB. *in Cod. L. IV. T. 41. de 47.* MOZTZIUS de *Locat. Col. 4. de Accident. Locat. n. 18. & Col. 5. n. 5.* MEV. *all. Conſ. Q. I. n. 151. & Q. II. n. 3.*

§. 11.

Quod ſi itaque locator ad damnum, conductori in propriis animalibus contingens, reſarciendum tenetur: prono alveo ſequitur, quod etiam illo caſu ad idem adſtrictus ſit, ſi damnum contigerit in inventario pecorum, quod conductor ſecundum certam taxam a locatore, tanquam ferreum, accepit. (*) Idem quoque obtinebit, ſi lues pecora Ruſticorum conſumſerit, quæ qua dominium pertinent ad Ruſticos vel Proprietarium locatorem. Cum enim hic potiſſimum reſpiciatur ad damnum, quod culturæ agri hac ratione contingit, & fructus inſtructi fundi conductori pro penſione, quæ reſpectum ad fructus habet, ſit conceſſus, hi vero eadem ratione imminutionem patiantur, ſi pecora Ruſticorum, quam ſi propria abſumantur: neceſſe quoque eſt, ut conductori idem damnum reſarciat locator, qui inſimul, ut dominus ruſticorum, ipſis de novo inventario proſpicere debet. (**)

Ampliatur 1), ut etiam locator ad damnum reſarciendum adſtrictus ſit, ſi illud in Inventario, quod conductor ſecundum taxam accepit, contigerit.

2) Si pecora ad Ruſticos, vel ipſum Locatorem, pertineant.

